



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118898**

§. 205. Diversæ Constitutiones a Romanis Congregationibus editæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. quoque Synodum celebrabat, corre-  
A. C. 1617. ctisque Clericorum moribus, leges op-  
 timo Pastore dignissimas fanciebat, ple-  
 bemque suam verbo & exemplo in sa-  
 cris exercitationibus usque ad postre-  
 mum vitæ habitum instituens, tandem  
 die septima Decembris Madriti septua-  
 genario major meritorum mercedem a  
 Deo recepit, in Ecclesia Toletana se-  
 pultus.

## §. CCV.

*Diversæ Constitutiones ac decisiones  
 a S. Congregationibus emanatæ.*

*Decif. S.  
 Cong. Epif.  
 & Reg. &  
 S. Rituum.*

**E**mergentibus variis circa ritus dubiis  
 Sacræ Congregationes auctoritate  
 summi Pontificis hoc anno diversas edi-  
 derunt Constitutiones, quas inter die  
 decima Januarii Sacra Congregatio E-  
 piscoporum & Regularium declaravit,  
 quod consensus solius Rectoris sufficiat,  
 ut in ejus Ecclesia sæculari possint Re-  
 gulares celebrare: die autem decima  
 quarta ejusdem Mensis statutum, quod  
 Crux in supplicationibus deferenda sit  
 a Regularibus cum velo pendente &  
 quod Vicario Generali sedenti in choro,  
 licet supra Canonicos, thurificatio ta-  
 men duplici, non autem triplici ductu  
 turribuli debeat, si tamen non sit  
 Prælati, nec Episcopus possit statuere  
 ut

Sæc. XVII.  
A. C. 1617.

ut Officium alicujus Sancti, quod cum particulari oratione in Cathedrali Ecclesia ab immemoriali tempore celebratur, celebretur etiam per totam Diocesim: Eadem quoque Congregatio die vigesima quarta præfati Mensis declarabat, quod Regulares non vadant processionaliter ad Portam Clausuræ Monasteriorum pro recipiendis reliquiis, nec etiam cujuscunque supplicationis obtentu in Monialium Ecclesias processionaliter ingredi valeant: nec etiam Reliquiæ afferentur in Monasteriis Monialium, sed in exterioribus Ecclesiis, ut statuit Congregatio Concilii die septima Martii. Die autem decima octava ejusdem Mensis S. Rituum Congregatio decidit, quod Lectiones duæ penultimæ, quando ab Episcopo Matutinum solemniter celebratur, sint cantandæ a duobus Canonicis, qui hinc inde eidem assistunt. Plura etiam circa Divini Officii ritus die decima octava Aprilis eadem Congregatio æque ac illa Episcoporum sancivit, & quidem I. quod si semel pulsata est campana, & lumina accensa, Officium ad instantiam alicujus non differatur II. Ad Archidiaconum tanquam majorem in choro spectet in principio Matutini, Horarum Canonicarum ac Vesperarum intonare *Pater Noster*, & eo dicto dare

Y y 2

signum,

Sæc. XVII. signum, ut incipiatur *Domine labia mea,*  
A. C. 1617. *vel Deus in adjutorium meum &c.* Sic &  
 ad Primam dicere, *dies & actus nostros*  
*&c. Adjutorium nostrum &c. Dominus*  
*nos benedicat, & custodiat nos &c.* Nec  
 non in fine matutini & Horarum: *Do-*  
*minus det nobis suam pacem;* & ad ipsum  
 pariter pertineat dare finis signum, sine  
 quo nemo etiam officio expleto e cho-  
 ro egredi valeat. III. Ex Canonicis vero  
 in choro existentibus, sub quovis præ-  
 textu exinde exire non valeant plures  
 quam duo pro qualibet vice, & in  
 egressu & regressu Archidiacono reve-  
 rentiam exhibeant, eorum egressus  
 causam notam facientes, ut in pleno  
 capitulo, an sit iusta vel ne, discuti  
 valeat, & contra faciens punctetur.  
 IV. Pariter quod determinatis horis  
 pulsandi Matutinum, alias horas, Ve-  
 speras & Completorium juxta tempo-  
 rum diversitates, & pulsata campana  
 per Sacristam, aut ejus deputatum, ac  
 in Ecclesia luminibus accensis Officium,  
 Horæ, Vesperæ & Completorium ad  
 alicujus instantiam differri non valeant,  
 & Hebdomadario absente Archidiao-  
 nus alteri præcipat, ut incipiat. V. Dum  
 divina celebrantur Officia, nemo extra  
 chorum cum cotta, vel sine ea perma-  
 nere, nec in choro actus a divinorum  
 Officiorum recitatione differentes, ut  
 puta

puta Scripturas legere, scribere, aut aliud id generis gerere valeat, alioquin tanquam absens punctetur.

Sæc. XVII.

A. C. 1617.

Die sexta Maij statutum est, quod consuetudo Ecclesiæ, quod fructus spectent ad Capitulum, donec beneficiatus sit Sacerdos, sit observanda, & quod Capitulum, sede vacante, possit certum tempus in Vicarii deputatione præfinire, quo elapso jurisdictio expiret, ac proin eligere poterit cum clausula, *quod non duret, nisi per annum.* Capitulum vero possit per Præsidentem convocari, quandocumque Ecclesiæ utilitati videbitur expedire, & nihilominus solitis diebus & ad hoc destinatis, & quotiescunque per Canonicos petetur illud convocari: de cetero si quædam Imagines publicentur miraculosæ absque interventu Ordinarii, ipse debeat eas claudere, informationes capere & Romam transmittere, uti die sexta Octobris Congregatio Episcoporum decidit. Declaratum quoque die decima septima Novembris, quod capellæ privatæ Palatiorum non gaudeant immunitate, Canonicus tamen e Choro absens occasione servitii curæ ejus Canonicatus annexæ, quotidianas distributiones lucretur, tanquam si esset præfens, & ideo Episcopus curam animarum eidem Canonico auferre non de-

Sæc. XVII. beat. Denique Sacra rituum Congre-  
 A.C. 1617. gatio die nona Decembris fancivit,  
 quod Episcopus, si Missas Pontificales  
 per se ipsum celebrare nolit, vel ne-  
 queat, non possit id in præjudicium pri-  
 mæ dignitatis, cui id competit, alteri  
 sibi bene viso pro suo arbitrio deman-  
 dare.

## §. CCVI.

*Rallegi Anglici Equitis extremum  
supplicium.*

*Rapin. Thoi-  
ras Hist.  
d' Angl. l. 18.  
Vid. supra  
l. 186. §. 56.* Conjunctionis in Jacobum I. Angliæ  
 Regem conflatae conscium fuisse  
 Waltherum Rallegum Equitem, jam su-  
 pra retulimus; hoc autem anno extre-  
 mum adversantis, qua premebatur,  
 fortunæ conatum recensere, operæ  
 pretium est; postquam enim Regis  
 gratia e carcere, in quo tredecim  
 ferme annos hæserat, tandem di-  
 missus erat, omnibus spoliatus bonis  
 suis, in exteris Regionibus levamen  
 suis miseriis quærere statuit, cumque  
 omnes maritimas Americæ oras, quas  
 jam olim unacum Kemiskio Collegii  
 Oxoniensis artium Magistro legerat, sibi  
 fat cognitas haberet, ac præcipue ex  
 Insula Guaiana metallicam massam,  
 auriferæ venæ indicem, secum in An-  
 gliam retulisset, novæ hujus felicitatis  
 spe